

3

REVERENDISSIMO ILLUSTRIS-

simoq; Principi ac Domino, D. Alberto Cardinali, Pres-
bytero, Legato & Archiepiscopo Moguntino & Made-
burgensi, Romani Imperij Electori & Cancellario, Prima-
ti per Germaniã, Marchioni genere Brandenburgensi &c.
Domino ac Patrono suo incomparabiliter summo,
Iacobus Curio Hofemianus, officia & studia sua.



I Princeps Illustrissime, traducenda unquã Iuuen-
tus fuit ad naturæ rerumq; cælestium scrutationē,
in hac maxime rerum perturbatione & temporū
querela traducenda esse uidetur. Nam præterquã
quod hoc doctrinæ genus infinitam confert in ui-
ta & moribus utilitatem, Vnum etiam hoc præstat, ut dum oc-
cupatos Iuuenum tenet animos, eos non sinat in medium ma-
ximorum studiorum irrupere, & umbram doctrinæ pro soli-
da amplexari, neglectis ijs, unde gradū facere oportebat ad ue-
ram de Deo capiendam noticiam, Et Reipublicæ regendæ sci-
entiam. In quibus quã sinistre uersentur quidam, declarat
abunde nostra hæc iã dissidijs & conuicijs undiq; feruens Ger-
mania. Neq; enim obscurum est, per quos tantum hoc discordia-
rum incendium alatur, Ordine si studia, ut prudenter à maiori-
bus constitutum est, traderentur, saniora ingenia parere Scho-
læ possent, Nunc quasi perfractis repagulis, subito nascuntur,
ueluti fungi nobis, qui Titulo doctrinarum ambitiose impetra-
to, in Curia, in Subsellijs, & Ecclesia, tam nulla bonarum artium
cognitione instructi dominantur, ut planè necesse sit, incurrere
Literas in odia potentum, Et Literatos passim ipsos etiam præ
illis contemni, qui cætera rudes, sola naturæ bonitate excellunt,
Et usu rerum periti, dexteritatem, non calliditatem in agendis
negotijs adferunt. Id scilicet lucrifecerunt hætenus Scholæ, qua-
rum iudicia decebat esse grauißima. Quã autem studiorum
honorif consulere rectius, si reuocata ueteri ratione discendi,